

stärker gerundet und noch vor der Mitte am breitesten, hinter dieser zur Spitze hin deutlicher verschmälert, an der letzteren aber sehr stumpf und jäh abgerundet, fast gerade abgestutzt, mit schärferen Nahtwinkeln und viel kürzer als der Hinterleib; die Oberfläche ist von vorne nach hinten sich allmälig verfeinernd, wenig tief, aber sehr deutlich runzlichpunktirt. Scheitel fast glatt, äusserst undeutlich fein quergerunzelt. Färbung der Fühler und Beine, Gestalt und Skulptur des Halsschildes, wie bei *L. aeneus*, letzteres etwas gewölbter. Ungeflügelt. Es lagen mir nur ♀ vor.

Insel Zante (jonische Inseln). Von H. v. Kiesenwetter freundlichst mitgetheilt.

(Fortsetzung folgt.)

Specimen faunae lepidopterologicae riparum fluminis Negro superioris in Brasilia septentrionali

auctotoribus C. et R. Felder.

(Continuatio.)

Fam. Nymphalidae.

Nymphalidae, *Eueidibus* remotis, ab omnibus *Suspensorum* familiis discernuntur palpis in fronte dilatatis, ab *Acraeidis* et *Heliconiidis* insuper palpis semper distincte quadrangulis*).

73. *Colaenis Julia* Lin.

Majora et saturatius colorata sunt specimina negrina, quam brasiliensis.

74. *Colaenis Phaetusa* Lin. var.

Multo pallidius colorata est nostra quam *brasiliana* et *surinamensis*. Fasciae in pagina superiore diffusae sunt et lunulae marginales inferae alarum posticarum duplo minores.

*^o) Sat leve esse discrimin opinamur marginem abdominalem alarum posticarum ad basin canaliculatum vel patentem. Ubi alae posticiae valde abbreviatae, ibi lobi basales marginis interni multum distant et abdomen liberum efficitur, sicut in *Nymphalidarum* generibus *Colaenide*, *Eresia*, *Synchloë*, *Morpheide*, *Neptide* etc., in *Ithomia*, *Mechanitide*, *Hamadryade*, *Thyridia*, *Methona*, in *Acraeidis* et *Heliconiidis*. Hujus regulae sola exceptio inter *Rhopalocera* extra *Papilionidas* et *Hesperiidas* apud *Erycinidas* observatur, quarum abdomen pro portione robustum nunquam a marginibus internis involvitur, ut sagacissimus Boisduval Spec. gén. I. p. 164 jam indicavit.

75. *Colaenis Dido* Lin.

Multo major est quam specimina *Brasiliae meridionalis*.

76. *Agraulis Lucina* Nob.

Alis supra saturate fulvis, anticarum vitta costali irregulari, cellulae extimum tegente, macula cellulari aliisque grossis marginalibus, posticarum limbo externo introrsum crenato nigricantibus, anticis subtus multo pallidioribus, maculis cellularibus punctiformibus fasciaque discali perobliqua nigris, hac et macula prima argenteo notatis, posticis dilute cano-ochraceis, venis, apice limboque postico fuscis, macula inter ramos medianos aliisque difformibus in margine argenteis. ♂

A. Junoni Lin. affinis, sed characteribus supra datis optime dignoscitur. Alae anticae apud ramum medianum secundum non angulatae et apice haud truncatae, ut in *A. Junone*, sed integerrimae et leviter excavatae sunt. Forma alarum *Colaenidi Juliae* Lin. similior est.

Species forte eadem, de qua cel. Herrich-Schäffer (Correspondenzblatt für Sammler von Insekten p. 157) mentionem fecit.

77. *Euptoieta Hegesia* Cram.

78. *Eresia Berenice* Nob.

Alis supra obscure fuscis, anticarum litura discali, fasciola lacerata interiore, maculis duabus exterioribus, posticarum fascia angusta discali strigaque exteriore fulvis, omnibus serie submarginali lunularum angustarum concolorum, posticis subtus dilute ochraceis, dimidio basali inter strigas flexuosas ferruginea albido impleto, maculis quinque posterioribus nigro-fuscis serieque lunularum submarginali nitide albicanium. ♂

E. Ianthae Fabr. affinis est, magnitudinem, formam et faciem in pagina superiore habet *E. Drusillae* Herr.-Schäff., Feld.

79. *Eurema Lethe* Fabr.

80. *Junonia Lavinia* Cram. var. *occidentalis* Nob.

Duas feminas accepimus a surinamensibus et brasiliensibus fascia alarum anticarum bifida latiore constanter recedentes. Cum Bogotanis omnino conveniunt.

81. *Anartia Amalthea* Lin.

Specimen nostrum ab iis *Brasiliae centralis* differt fascia discali maculari alarum anticarum paullo latiore.

82. Eunica Norica Hew.

A bogotana haud differt.

83. Eunica Flora Nob.

Alis supra nigro-fuscis, anticarum vitta subcostali in fasciam latam terminalem dilatata, posticarum fascia lata marginali eleganter nitenti cyaneis, subtus omnibus brunneis, maculis duabus cellularibus, litura apud venulam discocellularem, striga discali angulata alteraque subundata exteriore fuscis, ocellis duobus nigris interjectis, pupilla eorum guttaeformi caerulea, iride lata, brunnescente fuscoque limbata, ocello superiore multo majore, geminato, inferiore sesquialtero. ♂

Venustissima haec species *C. Alcmenae Doubldy* valde affinis est, sed fascia alarum anticarum lata, usque ad venam internam porrecta, posticarum plus quam duplo latiore, striga discali paginae inferioris minus angulata, exteriore angustiore ocelloque inferiore sesquialtero manifeste discrepat.

84. Eunica Clytia Hew.

85. Eunica Phasis Nob.

Alis supra brunneis, anticis extimo fusco, maculis distinctis albis ornato, posticis striga submarginali undata fusca, his subtus albido-canescensibus, strigis duabus flexuosis in dimidio basali (secunda supra angulum analem desinente) tertiaque exteriore angulosa nigro-fuscis, serie interjecta ocellorum canescensium pupillis nigris caeruleo punctatis. ♂

Geographicam absque dubio haec sistit varietatem *E. Macridis* Godt., sed differt statura majore, aliis anticis latioribus, magis angulatis, posticarum margine costali breviore, striga discali paginae inferioris earum multo magis flexuosa, supra venae internae inferioris apicem desinente ocellisque distinctioribus, mediis inter strigam dictam et exteriorem jacentibus.

86. Eunica Ariadne Cram.

Cum surinamensis (et praesertim iconē Crameriana) optime congruit. A forma Brasiliae centralis multum differt.

87. Epiphile Negrina Nob.

Alis supra saturate fuscis, anticis dimidio externo late nigro, cyaneo tincto, macula orbiculata cellulari, fascia angusta discali, altera

¹¹² multo latiore exteriore parallela maculisque duabus apicis fulvis, posticarum plaga elongata dilute cyanea, his subtus brunneis, macula costali ordinaria incisa argentea, strigis binis discalibus, ocellis quinque exterioribus lineaque submarginali, lituris crenatis formata. ♂

Medium tenet nostra species inter *E. Oream* Hübn. *Brasiliae meridionalis* et *Iblidem* Feld., priori vero affinior est. Fasciis jam alarum anticarum multo latioribus plagaque supera alarum posticarum magis elongata discedit. Staturam et colorem formae columbicae habet, quae facile absentia maculae basalis in cellula alarum anticarum superarum et formatione plagae cyaneae alarum posticarum, a margine multum remota, differt. Alae posticae *E. Negrinae* apud angulum analem minus sunt productae, quam in speciebus memoratis.

88. *Epicalia Acontius* Lin.

89. *Epicalia Numilia* Cram.

Cum *amazonica* et *brasiliensi* omnino convenit.

90. *Epicalia Hewitsonii* Feld.

Lep. Fragm. in Wien. Entom. Monatschrift III. p. 269 taf. 5 fig. 1.

Cum specimine *amazonico* l. c. figurato omnino congruit mas ex regione fluminis nigri missus. Extra paginae superioris signaturas differt species ab *Ep. Anaea* Lin. strigis duabus exterioribus paginae inferioris alarum posticarum haud parallelis et apud angulum analem subcontiguis.

91. *Pandora Prola* Boisd. var.

Marem accepimus bogotanis majorem et fascia alarum posticarum chalybaea multo angustiore discrepantem.

Batesia Nob.

Caput mediocre. Oculi nudi. Antennae costae dimidium vix excedentes, sensim incrassatae. Palpi ascendentibus, curvati, apud dorsum dense hirsuti, caput duplo superantes. Alae integerrimae, cellulis discoidalibus clausis, anticae margine externo paullum concavo, cellula costae trientem vix superante, ea posticarum multo latiore, vena subcostali quinqueramosa, ramo primo et secundo ante cellulae extimum orientibus, vena discoidalii superiore a vena subcostali sat remota, in triente suo basali valde deflexa, vena discocellulari inferiore introrsum valde convexa, ramo mediano secundo et tertio unacum orientibus. Alae posticae

rotundatae, vena praecostali bifida, post venae subcostalis originem nata.

Medium obtinet istud genus novum inter *Pandoram* Boisd. et *Ageroniam* Hübn., illi facie et abdominis formatione, huic cellulae ala-um anticarum forma accedit. Ab utraque differt antennis brevioribus, multo minus distincte clavatis, palpis pro portione capitis longioribus, dorso villoso-squamatis, vena discoidali superiore alarum anticarum deflexa, forma alarum cellulaque alarum posticarum angustiore et longiore. A *Pandora* insuper capite minore, collari minus exerto, thorace minus convexo ramisque medianis ultimis alarum anticarum unacum orientibus recedit.

Dedicamus eximium hocce genus cel. Domino Henrico Bates, Darwinianae doctrinae propugnatori acerrimo, de fauna entomologica Amazonum terrae longe meritissimo.

92. *Batesia Hypochlora* Nob.

Alis supra chalybaeo-caeruleis, anticarum bitriente externo, posticarum fascia submarginali, regulari, margini parallela nigris, anticis utrinque plaga pone discum pallide rubra, posticis subtus dilute aeneo-virescentibus, fascia submarginali margineque angusto nigris, thorace abdomeque supra chalybaeo-caeruleis, subtus pallide rubris. ♂

Majus est nostrum specimen, quam *Pandora Prola* Boisd.

93. *Ageronia Arethusa* Cram.

94. *Ageronia Chloë* Stoll.

95. *Pelia Lamis* Cram.

Mas differt a femina alis anticis apice et posticis angulo anali magis productis illisque ad marginem externum parum concavis.

96. *Eubagis Arthemon* Lin.

97. *Eubagis Salpensa* Nob.

Alis supra chalybaeis, anticis lituris binis discalibus dimidioque externo intus sinuato, cano quinque-maculato fuscis, posticis margine et ante eum striga valde approximata nigricantibus, his subtus sericeo-albidis, costae origine, fascia angusta discali integra strigisque duabus externis ochraceo-fulvis, maculis ante marginem posticum fulvis. ♂

E. Tithiae Hübn. (*Irmae* Godt.) Brasiliae meridionalis valde

affinis, sed minor et characteribus supra dictis facile distinguenda.
In Nova Granada et Venezuela etiam provenit haecce species.

98. Callicore Lidwina Nob.

Alis supra nigricantibus, anticis intus, posticis disco saturate cyaneo tinctis, anticis basi cyaneo atomatis fasciaque sinuata metallica, posticis fascia marginali sat lata, plumbeo-cana, anticis subtus plus quam dimidio basali erythrino, fascia subapicali strigaque marginali albidis, litura interjecta cinerea, posticis sericeo-albidis, strigis quatuor contiguis unaque ante cilia nigris, strigis duabus discalibus annularibus, superiore pyriformi, maculam unicam, inferiore maculas duas minores atras includente, margine costali usque ad venam subcostalem saturate erythrino. ♂

E. Elvinae Hew. valde affinis, sed statura majore, fascia marginali supera alarum posticarum multo latiore, litura cinerea apicali in anticarum pagina inferiore apparente et praesertim striga tertia et quarta ejusdem paginae alarum posticarum usque ad venam costalem ductis, haud macula sanguinea connexis differt.

99. Catagramma Cynosura Doubldy.

Ab *amazonica* differt vitta paginae superioris alarum anticarum sanguinea breviore.

100. Catagramma Eunomia Hew.

Mas missus est, qui a figura cel. *Hewitsonii* discrepat plaga alarum anticarum ad basin saturate rufo tincta.

101. Catagramma Salamis Nob.

Alis supra nigris, anticis fascia mediocri obliqua aurantiaco-flava, posticis plaga postica sat magna cyanea, his subtus strigis duabus ante medium tertiaque exteriore arcuata ochraceis, maculis sex interjectis cyaneo marginatis, striga postica maculari cyanea alteraque apicali ochracea contiguis in margine. ♂ ♀

Mutatio certe geographica haec est *C. Aeginae* Feld. (Lep. Columb. in Wien. Ent. Monatschrift V. p. 107) aequatorialis. Differt statura majore, fascia alarum anticarum duplo angustiore, plaga cyanea posticarum multo majore, supra ramorum medianorum ultimorum originem et venam discoidalem extensa. Strigae quoque ochraceae inferiores latiores sunt.

102. Catagramma Tolima Hew. var.

A figura *Hewitsoniana* nostrum specimen differt fascia alarum anticarum angustiore magis aurantiaca, plaga posticarum a margine magis

download unter www.biologiezentrum.at

remota et strigis duabus basalibus nigris harum paginae inferioris macula costali crocea connexis.

103. Callitheia Degandii H.ew. var.

Mas pulcherrimae hujus speciei communicatus est, qui a figura (Exot. Butterfl. Vol. II. gen. tab. II. fig. 7, 8) fascia marginali aenea multo angustiore discrepat.

Observanda est similitudo hujus speciei cum *Cyane Leprieuriæ* Feisth. in pagina superiore.

104. Pyrrhogrya Lysanias Nob.

Alis fuscis, anticarum fascia lata interna, macula magna pone celulam alteraque ovali subapicali, posticarum fascia lata discali albido-virescentibus, his supra macula anali sanguinea, anticis subtus costa, striga cellulari longitudinali binisque transversis connexis sanguineis, posticis costa ad basin maculis exterioribus seriatis nigro cinctis sanguineis aliisque bifariis grossis marginalibus albidis. ♂ ♀

Valde similis *P. Edoclae Doubldy*, cujus fortasse subspecies geographicæ. Differt statura minore, alis extimo minus productis, fascia alarum multo latiore maculisque exterioribus paginae inferioris posticarum angustioribus, seriem continuam regularem constituentibus et haud glauco atomatis. Femina a mare palpis paullo longioribus aliquæ latioribus recedit. Maculas etiam submarginales albidas obsoletas in pagina gerit superiore.

105. Gynaecia Dirce Lin. var.

A surinamensibus maribus noster statura majore fasciaque alarum anticarum latiore discrepat.

106. Timetes Marius Cram.

107. Timetes Berania H.ew.

108. Timetes Marcella Feld.

Lep. Columb. Wien. Ent. Monatschrift. V. p. 108.

109. Timetes Hermione Feld.

Lep. Columb. Wien. Ent. Monatschrift. V. p. 108.

110. Timetes Norica H.ew.

111. Heterochroa Alala H.ew. var. Negra Nob.

A forma venezuelana, cui proxima, differt fascia discali multo latiore strigisque brunneis submarginalibus minus undatis.

112. Heterochroa Ephesa Ménétr.?

H. Iphiclae Drury amazonicae proxima est affinis nostra, sed differt macula fulva alarum anticarum majore, fascia alba, strigis submarginalibus latioribus staturaque minore.

113. Heterochroa Ximena Nob.

Alis supra fuscis, strigis duabus submarginalibus brunnescentibus, anticis lituris nigris cellularibus, fascia exteriore sinuata maculisque tribus terminalibus adhaerentibus fulvis, posticis strigis binis brunneis pone discum, subtus omnibus ferrugineis, posticis dimidio basali opalino albido, ferrugineo liturato, fasciola irregulari discali albida, pone eam striga brunnea, lunulis exterioribus fulvo-brunneis, dein maculis et apud marginem lunulis violaceo-albidis, maculis duabus analibus nigris. ♂

H. Erotiae Hew. proxima, sed absentia fasciae albae in alis posticis facilime distinguenda. Faciem fere exhibit in paginu superiore *H. Mesenteriae* Cram.

114. Heterochroa Urraca Nob.

Alis supra fuscis, anticis fascia pone cellulam saturate fulva, costam versus bifida, posticis fascia alba strigisque tribus exterioribus nigricantibus, subtus ferrugineo-fulvis, lituris basalibus violaceo-opalinis, ferrugineo-cinctis, anticis fascia discali, opalina, posticis fascia supera strigaque externa lunularum violaceo-opalescentium, maculis antepositis seriatis ferrugineis, obsoletis. ♂

Minor, quam *H. Erotia* Hew. et transitum ad *H. Justinam* Feld. et *leucophthalmam* Latr. sistens. In Brasilia quoque centrali prope Bahiam occurrit species.

115. Apatura Cyane Latr.

Mirum est factum, quod inter maximam copiam hujus vulgaris speciei e Columbia acceptam omnia specimina masculini sunt sexus. Femina forte valde diversa est.

116. Apatura Laurentia Godt.

Unum specimen receptum in pagina superiore alarum posticarum pone fasciam inter ramum medianum primum et secundum maculam ostendit lateritiam.

117. *Apatura Pavonii* Latr.

A bogotana haud differt. Figura cel. Herrich-Schäffer minime respondet omnibus nostris speciminibus.

118. *Apatura Laura* Drury.**119. *Apatura Linda* Nob.**

Alis supra fuscis, anticis lituris duabus cellularibus nigris, fascia lata pone cellulam, infra venam discoidalem inferiorem profunde incisa, fulva, introrsum albido parum tincta, posticis fascia discali alba strigisque duabus exterioribus nigrescentibus, his subtus argenteis, circa fasciam brunneo umbratis. ♂

Valde affinis est *A. Laurae* et nisi duo receperimus specimina, aberrationem putassemus. Differt alis magis angulatis, fascia alarum antifarum plus quam duplo latiore fulvo colorata et cum macula fulva subapicali confluenta.

120. *Apatura Griseldis* Nob.

Alis supra fuscis, disco in certo situ vivide cyaneo resplendentibus, anticis lituris duabus cellularibus nigris, fascia lata pone cellulam fulva, marginem internum versus alba, usque ad venam subcostalem extensa, subsinuata maculaque subapicali fulva subadhaerente, posticis fascia alba strigisque duabus externis bene remotis, nigris, his subtus argenteis, brunneo umbratis, fascia alba. ♂

Valde similis est praecedenti et primo intuitu facile eandem judicares speciem, sed statura majore, alis posticis magis ampliatis, dente apud ramum medianum primum minus prominulo, pagina superiore cyaneo iridescente, fascia fulva alarum antifarum usque ad venam subcostalem currente, a macula distinctius separata strigisque marginis externi postifarum magis distantibus recedit.

121. *Apatura Zunilda* Godt. var.

A speciminibus Brasiliae meridionalis nostrum differt statura majore, pagina superiore saturatius cyaneo tincta, maculis tribus albis inter venam subcostalem et medianam punctiformibus, maculis antepositis multo magis approximatis, fascia alarum postifarum externa dilutiore, multo latiore, pagina earum infra glauco-atomata, striga discali ejus magis flexuosa ocellisque distinctioribus. Cum bogotanis omnino congruum est.

122. *Aganisthos Orion* Fabr.

123. Prepona Demopheon Lin.

124. Prepona Amphimachus Sulz. (*Amphithoe* Godt.) var.

Negrinum specimen a surinamensibus discedit statura minore, fascia paginae superioris multo angustiore, minus obliqua, ramum medianum tertium pertingente, striga discali paginae inferioris posticarum a costa ad ramum subcostalem primum magis, inter hunc et ramum medianum tertium vero minus angulosa, apud ramum medianum primum multo magis refracta.

125. Prepona Demodice Godt.

Discrepat a surinamensi statura majore et nitore cyaneo in pagina superiore omnino absente. Unum vero specimen surinamicum in antiqua collectione Lennep invenimus, quod supra haud cyaneo tinctum est.

126. Prepona Chromus Guér.

A columbica differt maculis alarum posticarum ocellaribus supra obliteratis.

127. Megistanis Deucalion Bat. in litt.

Lep. Fragm. in Wien. Ent. Monatschrift IV. p. 238.

Speciem hanc liberam esse, clare appareat, quum apud flumen Amazonum juxta *M. Baeoti* Boisd. formam occurrat. Formam hujus surinamensem *M. Rayi* v. Vollhov. putamus, minime autem speciem amboinensem, ut cel. auctor indicavit. Item persuasum nobis habemus, *M. Aeilum* Cram. haud ex Amboina allatum fuisse, sed e terra surinamica. Megistanis enim generis Charaxis in continenti nova vicaria est.

128. Hypna Clytaemnestra Lin. var. Negra Nob.

Differt a columbica et surinamensi fascia alarum anticarum multo latiore, apice earum minus hamato caudaque posticarum breviore, ad apicem vix dilatata.

129. Nymphalis Rhyphea Cram.

Haud differt a columbica et brasiliensi.

130. Nymphalis Tempe Feld.

Lep. Columb. in Wien. Ent. Monatschrift. V. p. 110.

A bogotana statura minore, fascia vittaque alarum anticarum angustioribus recedit. Proxima speciei affinis *N. Nessus* Latr. est,

sed habitus robustior, alae anticae ad apicem multo minus hamatae et posticae longius caudatae. Media in systemate inter *N. Rypheam* Cram. et *Nessum* collocari debet.

131. *Nymphalis Eurypyle* Nob.

Alis supra saturate fulvis, marginem externum versus ferrugineis, anticis margine externo concavo, extimo fusco, fasciola fulva in fundo cyaneo tincto, posticis cauda tenui, subtus omnibus ferrugineis, dense cano variegatis, striga discali obliqua continua alteraque posticarum arcuata nigrescentibus, his punctis nonnullis ocellaribus in margine postico. ♂

N. Rypheas et *Phidilae* Hübn. valde affinis est, sed alis posticis caudatis facile differt. In Brasilia quoque meridionali volat.

132. *Nymphalis Glauce* Nob.

Paphia Glauce Bat. in litt.

Alis supra aeneo-nigris, anticis subfalcatis, earum dimidio basali maculisque duabus elongatis externis, posticarum plus quam bitriente basali plumbeo-caeruleis, his maculis submarginalibus nigro notatis, viridi-plumbeis, subtus omnibus fuscescentibus, densissime albido variegatis, posticis maculis nonnullis ocellaribus atris caeruleo-notatis in margine postico, pone caudam. ♂
E terra quoque amazonica cel. Bates nobis speciem transmisit.
P. Xenocli Westw. accedit; magnitudinem habet *N. Rypheae*.

133. *Nymphalis Glaucone* Nob.

Alis supra chalybaeo-nigris, anticarum triente basali posticarumque dimidio baseos virenti-plumbeis, anticis subfalcatis, maculis duabus bipartitis exterioribus, caeruleo-plumbeis, posticis caudatis, punctis nonnullis ocellaribus, subtus omnibus fuscescentibus, densissime albido variegatis, posticis punctis binis ocellaribus nigris, caeruleo notatis ad caudae basin. ♂

Valde affinis *N. Glaucae* supra descriptae, differt tamen colore paginae superioris saturatiore in cyaneum vergente, areis basalibus viridi-plumbeis et minus latis, macula secunda alarum anticarum superarum minore, punctis posticarum minoribus, in pagina inferiore duobus tantum apparentibus caudisque magis determinatis.

134. *Nymphalis Leuctra* Nob.

Alis caudatis, supra chalybaeo-atris, margine angustissime ferrugineo, basi plumbeo-caerulea, anticarum fascia limbali, posticis limbo

toto postico chalybaeo tinctis, subtus omnibus dilute ferrugineis, anticarum strigis duabus, posticarum quatuor obscure ferrugineis, his punctis posticis ocellaribus. ♂

Unicum mirae hujus speciei marem accepimus. In pagina superiore vix a *N. Iphide* Latr. discerni potest, in pagina autem infera fere omnino cum *N. Chaeronea* Feld. bogotana convenit. Formam et expansionem alarum prioris habet.

135. *Nymphalis Anassa* Nob.

Alis supra chalybaeo-atris, triente basali omnium, fascia submaculari submarginali anticarum posticarumque margine externo virescenti-plumbeis, subtus omnibus ferrugineis, areis canis, margaritaceo nitentibus atomisque sparsis albidis. ♂

Valde similis *N. Basiliae* Cram. surinamensi, differt autem statura majore, areis basalibus plumbeis angustioribus, maculis superis alarum anticarum in fasciam confluentibus, posticis supra plumbeo marginatis paginaque inferiore vivide margaritaceo nitente, multo minus albido atomata. Mutationem forte geographicam dictae sistit specie.

136. *Nymphalis Odilia* Cram.?

Figuram solum surinamicae speciei cognoscimus, hancque ob rem dubitamus, negrinum specimen vere hic pertinere.

Alae anticae supra cyaneo-atrae sunt in mare nostro, triens earum basalis, limbus apicalis et posticus cyaneo-plumbei, posticae ibidem chalybaeo-fuscae, basi cyaneo atomatae. Pagina inferior dilute ferruginea est, fasciam gerit discalem, irregulariter excisam, fuscentem. Basis margo exterius albido variegati.

137. *Protagonius Fabius* Cram. var.

Unum accepimus specimen masculinum. Vitta fulva alarum anticarum sat lata est, usque ad marginem extenditur, fascia ochracea duabus formatur maculis, quarum superior extus tres sinus distinctos exhibit. Prope apicem duae jacent maculae atomariae ochraceae. Alarum posticarum margo niger vix maculas ochraceas amplectitur. Paginae inferiores signaturae valde distinctae sunt.

Protagonius Cecrops in innumeris suis varietatibus, quarum unam supra exposuimus, a surinamica forma, *P. Fabio* Cram. I. t. 90 facile distinguitur alis posticis supra maxima ex parte fulvis. Cel. autem Bates specimen ex terra amazonica nobis misit, quod ambas conjungit formas. Negrinum speciminibus meridionalis Brasiliæ proxime accedit.

138. Siderone Isidora Cram. var.

A surinamensibus speciminibus statura majore, colore saturatiore, maculis vitreis distinctioribus maculaque discali alarum anticarum multo angustiore recedit.

Fam. Biblidæ *).

Parva haecce familia a *Nymphalidis* palpis multo magis compressis, longe distantibus, a *Satyridis* larvarum formatione, ab utrisque palporum articulo ultimo optime determinato, obtuso, nutante **) discernitur. Transitoria videtur inter dictas familias. A plerisque *Satyridis* palporum quoque vestimento distinguitur. Palpi enim minime sunt jubato-squamati. Faciem omnes species praestant valde peculiarem. Inter *Nymphalidis* maximam cum iis habent analogiam (vel affinitatem?) *Ageroniae*, vena enim costalis alarum anticarum in his inflata, palporum articulus terminalis optime distinctus et cellula discoidalis similiter formata. Palpi harum autem frontem habent multo magis dilatatum.

139. Olina Caecilia N. ob.

Alis supra nigris, anticarum fasciola interiore prope basin, ad marginem abdominalem posticarum ducta, macula magna adjacente fasciolaque subapicali, posticarum striga exteriore albis, anticis macula media pone fasciolam basalem strigulisque binis marginis analis, posticis lineis duabus submarginalibus griseis, subtus omnibus fuscis, fasciis maculisque superis multo majoribus, anticarum vitta subcostali, striga apicis maculaque postica, posticarum macula basali, fascia discali strigaque submarginali fulvis. ♂

Geographica certe varietas *O. Emiliae* Cram. A figura hujus differt statura majore, macula fulva basali in alarum anticarum pagina superiore omnino absente, macula discali multo minus sinuata et praesertim fasciola subapicali earum continua, macularum duarum instar. Striga quoque externa alarum posticarum multo angustior est. Duo accepimus specimina omnino conformia.

*) Cf. optimam expositionem hujus familie in cel. Boisduvalii Faune entomologique de Madagascar, Bourbon et Maurice. 1833 p. 53 — 57.

**) „Palpes écartés, longs, dépassant notablement la tête, le dernier article infléchi en avant“ breviter, sed acutissime dicit cel. Boisduval Spec. gén. Introd. p. 166, 167. Longe ante eum heroës Fabricius (Syst. Gloss.) et Latreille idem indicarunt.

140. Biblis Hyperia Cram.

Masculinum specimen apud flumen Negro captum a columbicis et brasiliensibus fascia rubra latiore discrepat.

Nomen „*Didonis* Hüb.“, sub quo cel. Westwood genus descripsit, haud retineri potest, quia cel. Boisduval l. c. p. 53 genus sub nomine „*Biblis*“ distinxit et cel. Fabricius, Latreille et Godart hoc pro omnibus familiae speciebus utebantur.

Fam. Satyridae.

Nostra familia, larvis pisciformibus palpisque imaginis admodum compressis optime distincta, *Morphidas* etiam auctorum complectitur *), quia nec antennarum forma vel palporum vestitu **), ut cel. Latreille, Boisduval et Westwood indicarunt, nec larvis dignosci possunt. *Brassolidas* vero propter larvarum et palporum imaginis formationem, cel. Latreille, Doubleday et Westwood imitantes, propriam excludimus familiam. A *Danaidis* ambae larvis tantum distant.

141. Opsiphanes Cassina Nob.

Alis supra rufescenti - fuscis, anticis macula cellulari fasciaque adiacente subarcuata transversa saturate fulvis, maculis tribus apicalibus, albis, posticis fascia submarginali saturate fulva, ♂ ris angulum versus ani valde attenuata, ferrugineo tincta, ♀ nae apud venam discoidalem in colorem ferrugineum transfluente, subtus omnibus saturate brunneis, characteribus cellularibus strigisque duabus submarginalibus undulatis nigris, posticis dense nigro variegatis, lituris dimidii basalis nigris, ocellis duobus costaque albido variegata.

O. Invirae Hüb., quam ex *amazonica* valle cel. Bates nobis communicavit, valde affinis est nostra, sed facile statura majore (*O. Quieteriam* aequat), maculae cellularis alarum anticarum praesentia, fascia latiore ♂ ris marginem versus internum attenuata et figuris cellularibus paginae inferioris alarum anticarum diversis recedit.

*) Cf. *Observationes de Lep. Chinae et Japoniae* — supra p. 27.

**) Ineptum etiam esse hunc characterem secernendis *Nymphalidis* et *Satyridis*, certum nobis habemus. Sunt *Satyridae*, quae palpi gerunt minime setosos (e. g. *Tisiphone*, *Harpidea*, *Haetera*, *Mycalesis*), *Morphidae*, quarum palpi adpresso squamati (e. g. *Morpho* sect. *Achillis*, *Laërtis*), *Nymphalidae*, in quibus palpi setis jubatis, horizontaliter patulis vestiti sunt (e. g. *Clothilda*, *Morpheis*, *Meneris*) vel squamarum jubatarum densa mole tecti (e. g. *Aganisthos*).

Ab *O. Cassiae* Lin. (Merian, Ins. Surinam. tab. 32, Cram. t. 106 A.) differt fascia alarum anticarum a macula discali bene separata, angulum internum versus magis arcuata fasciaque alarum posticarum a margine magis distante. *Opsiphanes*, quem cel. Cramer t. 105 fig. A, B feminam *O. Cassiae* Lin. putavit, speciem sistit propriam, alis posticis apud angulum analem magis productis fasciaque earum in strigae marginalis ad apicem solum apparentis formam permutata optime distinctam. Prope Bahiam etiam haec species volat, cui nomen *O. Crameri* proponimus. Quum *O. Tamarindi* Boisd. (Lep. Columb. Wien. Ent. Monatschrift V. p. 111) exposuimus, eum cum *O. Crameri*, „*O. Cassiae*“, nominato comparavimus.

Clerc Junct 31 Febr. 1870

142. Pavonia Euphorbus Nob.

♂ *Papilio Idomeneus* Lin. ♀ var. Cram. Pap. exot. IV. p. 208 t. 390
fig. A, B et Auctor. posteriorum.

Alis supra fuscis, anticis paullum pellucidis, striga exteriore obsoleta albida puncto que albo, his maxima ex parte, posticis omnino vivide cyaneo splendentibus, subtus omnibus brunneis, nigro variegatis, disco extusque saturatioribus, anticis figuris distinctis cellularibus fascia que albis, ocellis duobus strigisque totidem submarginalibus nigris, posticarum fascia basali alteraque pone discum albis, fusco reticulatis, macula costali ocellari ocello que pavonino orbiculari, iride ex albido flavescente, lunula gracili cellulari albida. ♂

Pulcherrimae hujus speciei unum recepimus marem cum icona supra citata bene congruum. *P. Idomeneo* Lin. proxime accedit, ut Cramerus cognovit, sed forma alarum jam discrepat. Alae anticae multo latiores sunt et apice multo minus productae.

Godartianum nomen generi restituimus, non solum, quia specierum peculiarem signaturam inferam optime describit, sed etiam quia primum cum diagnosi publicatum (Enc. méth. IX Suppl.) et a cel. Doubleday longe ante editionem „Generum of diurnal Lepidopt.“ in species restrictum est, quas cel. Hübner sub nomine „*Caligo*“ absque ulla descriptione conjunxit.

143. Morpho Menelaus Lin. var. occidentalis Nob.

Unus mas collectus est, qui nullum a bogotanis praebet discriminem.

Alae anticae hujus formae omnino cum iis speciminum Brasiliae meridionalis conveniunt, posticae vero marginem nigrum externum duplo habent latiorem. Ocelli in pagina inferiore omnium alarum valde distincti sunt. Amazonicum specimen a cel. Bates communicatum

surinamensibus valde simile est. — Generis sectiones alio explicabimus loco.

144. *Antirrhaea Hela* Nob.

Alis supra brunneo-fuscis, violaceo tinctis, anticis ocellis quinque exterioribus violascenti-caeruleis caecis, posticis immaculatis, subtus anticis pallide fulvescenti-brunneis, dense cano et albido reticulatis fuscoque nebulosis, maculis quatuor indistinctis exterioribus albidis, posticis fuscis, disco caeruleo suffusis, dense cano reticulatis, fascia lata obscura apud eum, in regione costali fulvescenti variegatis, macula nigra subcostali prope basin, altera fulvescente discali atomaria punctisque quatuor exterioribus apud plicas ochraceis. ♂

A. Archaea Hübn. (*Girondio* Godt.), cui species affinis, quarta parte major est mas noster. Hujus sectionis mares, qui tot exhibent singularia ornamenta, a feminis, ut cel. Westwood jam leviter indi- cavit, venis etiam alarum posticarum discrepant. Ramus enim subcostalis primus basi magis approximatus valde deflexus est et secundi curvaturam stringit, ita, ut ambi rami ex petiolo communi nasci videantur. Vena discocellularis superior magis curvata est et inferior rami mediani secundi originem fere attingit. Vena costalis et discoidalis multo flexiores et rami primi mediani minus inter se distant. — Genus hoc duas amplectens sectiones (*Philoctetes* Cram. et *Archaeai* Hübn.) a *Haetera* dignoscitur collari minus exerto, capite thoracis diametrum aequante vel superante, vena costali alarum anticarum basi vix incrassata, posticarum a costa bene remota harumque vena subcostali ad basin recta, costalem haud attingente. Accedunt cha- racteres sexuales secundarii: Margo internus alarum anticarum in ♂ribus arcuatim dilatatus, vena interna in iis sigmoidea, subtus dense longeque jubata, pagina superior earumdem alarum areolam elongatam, squamis depressoformatam eaque posticarum fasciculum internum gerit.

145. *Haetera Mortensia* Nob.

Alis supra violaceo-fuscis, anticarum macula elongato-ovali, a vena discoidalii inferiore usque ad ramum medianum secundum extensa, posticarum plaga elongata metallico-caeruleis, his macula anali fulvo-ochracea, subtus anticis pallide ochraceo-brunneis, punctis nigris basalibus, striga per cellulam, altera interiore binis- que discalibus irregulariter contortis, saepius confluentibus fuscescensibus, posticis albido squamatis, punctis baseos aliisque

exterioribus seriatim nigris, strigis tribus parallelis discalibus fuscescentibus, omnino liberis. ♂

Varietas geographica est *H. Hortona* Hew. amazoniae, sed apud Amazonum flumen superiorem in Peruvia etiam volat. Differunt tria nostra specimina a figura Hewitsoniana (Transact. Ent. Soc. of London. Vol. II. N. Ser. Pl. 23.) alis anticis angustioribus, posticis minus rotundatis, macula supera caerulea alarum antistarum nunquam venam discoidalem superiorem pertingente, plaga posticarum minus rotundata, a margine magis remota, rami mediani primi dimidium basale omnino cingente, strigis earum inferis haud contiguis punctisque nigris in limbo externo apparentibus. Cel. auctor paginam solam superiorem iconem exhibuit, sed in descriptione horum punctorum nullam fecit mentionem. In Andium Novae Granadae convallibus tertia occurrit forma, inter hanc et amazonicam quasi media, cuius diagnosin mox in lucem proferemus.

Sectionem propriam constituit *H. Hortona*, illi *H. Lena* Lin. valde affinem, sed cellulis discoidalibus alarum brevioribus et latioribus, vena costali alarum antistarum magis inflata venaque discocellulari inferiore alarum posticarum ramum medianum primum tangente diversam. *H. Astyoche* Erichs. est species, cum qua *Hortona* maximam habet affinitatem. Faciem vero tota sectio praestat *Antirrhaeorum*.

146. Haetera Astyoche Erichs. var.

Hewitson, Exotic. Butterflies Vol. II. gen. tab. Fig. 5.

Marem et feminam accepimus. Femina a figura citata differt punctis et maculis albis posticarum magis dissitis, haud confluentibus. In mare dictae maculae minores et obsoletiores sunt magisque separatae.

A *H. Astyoche* typica, cuius specimen e Museo Berolinensi ante nos habemus, differt haecce forma maculis duabus albis post maculas punctiformes alarum posticarum totidemque pone eas in margine apparentibus. Proprium nomen haud meretur geographicam haec formam. Negrina specimina similiora sunt guianico, quam ea terrae Amazonum superioris.

147. Haetera Lena Lin. var. brasiliensis Nob.

Cum Bahiana optime congrua, statura solum major. Alae anticae saepius punctum ostendunt nigrum apud plicam primam discoidalem et supra id punctum album. Surinamensis specimina, quae ex antiqua collectione Lennepiana ante oculos habemus, macula grossa nigra semper ad plicam discoidalem inferiorem alarum antistarum apparente, strigis fuscis paginae earum superioris magis approximatis, fascia quare albida infera angustiore, alis posticis supra haud violascenti-caeruleo sed plumbeo atomatis maculisque plumbeis multo magis albo foetis discrepant. Observandum est *H. Dracontidem* Hübn. surinamicam et

brasiliensem in alis posticis eadem praebere discrimina (ut Cramerus optima icona expressit) et *H. Lenam* in regionibus fluminis Amazonum superioribus similiter transformari, ut *H. Astyoche* Erichs. (Cf. Hew. Exot. Buttfl. Vol. II. gen. tab. Fig. 2).

148. Haetera Lamia Sulz. (*Dindymene* Cram.)

Tristis casus, quod e regione fluminis Negro marem solum, e Surinamia vero feminam tantum recepimus et cel. Cramer hanc solam iconem delincavit. A speciminibus Brasiliae centralis (Bahiae), quae propriam constituunt varietatem, multum discrepant nostra. Plaga alarum anticarum viridi nitens multo minor, strigae fuscae supra distinctiores, alae posticae extus obscure violaceo-fuscae, puncta earum alba majora et indistincte fusco limbata.

(Concludetur.)

Novae Helomyzidarum in Europâ viventium species, descriptae ab H. Löw.

Gen. I. *Helomyza* (setâ humerali nullâ).

1. *H. inornata*, testacea, pleurarum dimidio superiore et scutello toto hirtis, setâ antennarum pilosâ, apicibus venarum longitudinalium non fusco-limbatis. $2\frac{1}{2}$ lin.
2. *H. variegata*, lutea, abdomine nigro-fasciato, pleurarum dimidio superiore hirto, setâ antennarum pilis longis plumatâ, maculâ subapicali alarum permagnâ fusca. $2\frac{1}{3}$ lin.
3. *H. foeda*, lutea, thoracis dorso et scutello praeter marginem nudo ex cinereo subfuscis, pleurarum dimidio superiore hirto, setâ antennarum pilis mediocribus plumatâ. $3\frac{1}{2}$ lin.
4. *H. pectoralis*, ex testaceo flava, scutello praeter marginem nudo, pleurarum dimidio superiore hirto, setâ antennarum pilis mediocribus plumatâ. $3\frac{1}{6}$ lin.
5. *H. hispanica*, ex fusco testacea, hypopygio permagno flavo, setâ antennarum pilis longissimis plumatâ, pleurarum dimidio superiore nudo, femoribus intermediis setas aliquot validas gerentibus. $3\frac{1}{4}$ lin.
6. *H. laevifrons*, flava, fronte nitidâ, setâ antennarum breviter plumatâ, pleurarum dimidio superiore nudo, venis transversis venarumque longitudinalium apicibus fusco limbatis. $2\frac{1}{3}$ lin.
7. *H. pilimana*, testacea, thoracis lineâ mediâ subfuscâ, setâ mystacinâ utrinque unicâ, setâ antennarum pilosâ, scutello subnudo,

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Wiener Entomologische Monatsschrift](#)

Jahr/Year: 1862

Band/Volume: [6](#)

Autor(en)/Author(s): Felder Cajetan Freiherr von

Artikel/Article: [Specimen faunae lepidopterologicae riparum fluminis
Negro superioris in Brasilia septentrionali. 109-126](#)